

XVI  
F.21

S. D. N.  
**PII PAPAE V.**  
**PRIVILEGIA**  
Iurisdictiones, & Facultates Illustrissimis, & RR.  
DD. Cardinalibus Venerabilis Monasterij, &  
Confraternitatis Virginum Miserabilium  
Beatæ Catherinæ della Rosa nuncupatæ  
de Vrbe Protectoribus, & eorum  
Iudici concessa.



---

ROME, Ex Typographia Camera Apostolica. M. D<sup>o</sup> III.  
**LXX**

R. 93984

1570

SAZ  
PII PAPAE  
PRIVILEGIA  
Inauguratione & Inscutiois Thesaurorum  
DD. Cardinallis Archiepiscopi Moniferrarij &  
Consecrationis Virginum Milaspiensium  
Pecunie Catechismi de illis Regis Nunquam  
de Ape Prolegomene, &c. cum  
judicii copia.



ANNA, EX LIBRIS DEPARTMENTI CIVICO-MUSEALIS. N. D. 111.  
**XXX**

N. 111

# PIVS PAPA QVINTVS

## MOTU PROPRIO, ETC.



VPIENTES, vt Monasterium Beatæ Catharinæ della Rosa nuncupat. de Vrbe, iam dudum pro receptandis, & educandis miserabilibus Puel- lis, quæ in periculo pudicitiæ subuertendæ in di- cta Vrbe reperiuntur erectum, & Confraterni- tas ibidem pro gubernio dicti Monasterij canonicè instituta non solum manu teneatur, verumetiam in dies incrementū suscipiant, Monasteriumq; , & Cō- fraternitatem huiusmodi specialibus fauoribus , & gratijs prosequi volē- tes, Motu simili ex certa nostra scientia , ac de Apostolicæ potestatis ple- nitudine. Dilecto filio nostro Hyppolito tituli Sanctæ Mariæ Nouæ Pre- sbytero Cardinali Ferrarieñ nuncupat. nunc, & prò tempore Monaste- rij , & Confraternitatis huiusmodi existeñ Protectori, seu Confraterni- tati prædictæ illius Administratoribus, Gubernatoribus , & Deputatis, quòd quascumq; Puellas in periculo pudicitiæ amittendæ existeñ, & sibi beneuisas propria auctoritate , etiam inuitis parentibus capere , & in di- cto Monasterium introducere , illasq; tam dū in dicto Monasterio man- serint, quam etiam inde egressæ , siue nuptæ, siue viduæ fuerint, necnon eas occultantes, & latitare facientes carcerare , punire , corrigere , & castigare eorum arbitrio , seu aliàs iuxta eorum Statuta , & prouidas or- dinationes possint, & valeant, concedimus , statuimus , decernimus, & mandamus , necnon pro ipsius Monasterij Confraternitatis Monialium, & Puerarum minori dispendio, ne cogantur per diuersa Tribunalia liti- gare omnes, & singulas causas , lites , questiones, & controuersias, ciui- les , criminales , prophanas , spirituales , meras , & mixtas , inter Con- fraternitatem , seu eius Administratores , Gubernatores , & Deputatos huiusmodi Moniales, seu Puellas in dicto Monasterio degentes , seu quæ inde egressæ , & nuptui traditæ sunt, ex vna , & quascumq; aliàs personas cuiuscumq; gradus , dignitatis , ordinis , conditionis , & præminentiaz

F 2 existen.



existentes, Vniuersitates, Societates, Congregationes, & Monasteria,  
aut alia loca pia, ex altera partibus, etiam si coram S. R. E. Camerario  
Clericis, & Præsidentibus Cameræ Apostolicæ, & eiusdem Cameræ Ge-  
nerali Auditore, necnon Vicario, Gubernatore, & Senatore dictæ Vrbis,  
illorumq; Locatenentibus, Collateralibus, & Iudicibus, ac dictæ Vrbis  
Causarum appellationum Capitaneo, & Sacri Palatij Apostolici Causa-  
rum Auditoribus, & eiusdem S.R.E. Cardinalibus, alijsq; Iudicibus or-  
dinarijs, seu delegatis, hucusq; motas, & pendentes de, & super sta-  
tu, & bonis, tam Monialium, quam puellarum, necnon quibuscumq;  
locationibus, venditionibus, legatis, fideicommissis, testamentis, hæ-  
reditatibus, ac illarum discussionibus atq; quorumcumq; iuriū, & actio-  
num, cessionibus alijsq; inter viuos contractibus, etiam vigore obliga-  
tionis in forma Cameræ exequitionibus, reuocationibus, bonis, rebus,  
iuribus, & actionibus ad Confraternitatem præfatam, eiusq; Guberna-  
tores, Administratores, & Deputatos, Moniales, & Puellas prædictas,  
tam coniunctim, ac tam actiuè, quam passiuè spectantibus, & pertinenti-  
bus, in quacumq; instantia, quarum omnium, & singularum statum, &  
merita, necnon Iudicium, & collitigantium, nomina, & cognomina, ac  
qualitates, cæteraq;, etiam de necessitate exprimenda pro expressis ha-  
beni in statu, & terminis, in quibus nunc reperiuntur, harum serie, ad nos  
aduocantes, illasq; omnes, & singulas motas, & pendentes, ac quam,  
& quas Cōfraternitas, Gubernatores, Administratores, & Deputati, nec-  
non Moniales, & Puellæ ibi degentes, & illæ quæ inde egressæ, & nuptrui  
traditæ sunt, & pro tempore fuerint, habere volent contra easdem per-  
sonas, Vniuersitates, & Collegia, Congregationes, Cōfraternites, Mo-  
nasteria, & alia huiusmodi pia loca pro rebus, bonis, hæreditatibus, iu-  
ribus, & actionibus huiusmodi nunc, & pro tempore Monasterij Con-  
fraternitatis prædicatorum existenti Protectori prædicto vnâ cum illarum  
emergentibus, dependentibus, incidentibus, annexis, & connexis sum-  
mariè simpliciter, & de plano, & sola facti veritate inspecta, ac sine stre-  
pitu, & figura iudicii per se ipsum, seu alios à se deputandos in quacunq;  
instantia vsq; ad finem audiendum, & cognoscendum, decidendum, &  
terminandum, auctoritate Apostolica tenore præsentium committimus,  
& mandamus, ipsumq; Protectorem nunc, & pro tempore existentem in  
dictis



dictis causis motis, pendentibus, & in futurum mouendis in iudicem ordinarium cum facultate easdem Causas in quacumq; instantia vsq; ad finem per se ipsum, vel alium, seu alios eius Auditores illas cognoscendi, decidendi, & terminandi, & aliis facultatibus prædictis facimus, constituimus, & deputamus, necnon cum potestate citandi, & inhibendi, quos, quibus, & quoties opus fuerit in Curia, & extra eam, etiam per edictum publicum constituto etiam de non tuto accessu, eisdemq; ac quibusvis aliis eiusdem Vrbis iudicibus ac personis, tā Ecclesiasticis, quam secularibus, quibus, & quoties opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, & pecuniariis, quibus sibi, seu ab eo pro tempore deputando Auditori videbitur inhibendum, & in euentum non partitionis contra inobedientes, contumaces, & rebelles ad declarationem incursus, censurarum, & pœnarum huiusmodi, illarumq; aggrauationes, reaggrauationes, & alias iuxta morem, & stilum Curiarum Vrbis in similibus seruari solitum, & prout sibi videbitur procedendum, sententiasq; suas debitæ exequutioni demandañ, siue demandari facien., auxiliumq; brachii secularis ad hoc si opus fuerit inuocandi, omniaq;, & singula alia in præmissis, & circa ea, quomodolibet necessaria, & opportuna faciendi, gerendi, & exercendi, ac in omnibus, & singulis causis prædictis ad dictam Societatem Moniales, & Puellas, ut præmittitur, spectañ, & pertineñ singulis diebus, & horis feriatis, & non feriatis, præterquam in honorem Dei, etiā tempore feriarum ob necessitatem hominum indicarum, & indicendarum procedere, ac quemcumq; Notarium sibi beneiſum in causis huiusmodi deputare possit, & valeat quotq; citationes monitiones, & intimationes quæ in dictis causis fieri opportuerit, etiam per Curiæ Capitolii, & quoscumq; alios mandatarios fieri possint, & quicumq; executores Vrbis possint, & debeant effectualiter executioni demandare, omnes, & singulas Sententias, Decreta, & Mandata prædicti Cardinalis Protectoris, siue ab eo deputatorum, quæ non obstante Regula Cancellariæ sub eius paruo Sigillo expediri possint, ac insuper Confraternitatem prædictam, eiusq; Administratores, Gubernatores, ac Deputatos, necnon Moniales, aut Puellas ibidem degentes, & inde egrefas, nuptas, seu viduas huiusmodi, ex nunc deinceps occasione præmissorum alibi, quā coram prædicto Protectore conueniri, aut ad alios conuenientes

2nd

nientes constringi non posse , ac processus, sententias,& decreta, per aliū,  
seu alios, tam ordinarios, quā delegatos Iudices in causis prædictis quo-  
modolibet,&c. pro tempore formatos, latae,& facta , cū inde secutis qui-  
buscumq; nulla irrita, & inania, nulliusq; roboris, vel momenti fore, præ-  
sentemq; cedulam sub quibusuis reuocationibus, suspensionibus, limita-  
tionibus , seu reuocationibus similiū , vel dissimiliū concessionum,&  
gratiarum , etiam per Nos , & successores nostros Romanos Pontifices ,  
& Sedem prædictam , vel eius Legatos , etiam per Regulas Cancellariæ  
Apostolicæ pro tempore factas nullatenus comprehendendi , sed ab illis pe-  
nitus omnino exceptas ; & quoties illæ emanabunt, præsentem cedulam  
in pristinum robur restitutam esse , & censeri debere , nec eidem cedulæ ,  
per quascumq; litteras, ēt quasuis clausulas generales, vel spetiales, etiam  
derogatoriæ derogatorias, irritantiaq; , & alia decreta sub quocumq;  
verborum expressione contineri , & derogari posse , & si illi vlo vnquam  
tempore, ex aliqua , & quantumuis necessaria , & vrgenti causa deroga-  
ri contingat nisi tenor eiusdem Cedulæ de verbo ad verbum nihil peni-  
tus omisso insertus , & huiusmodi derogatio per trinas distinctas litteras  
eundem tenorem continentes tribus similibus distinctis vicibus Admini-  
stratoribus, Gubernatoribus, Deputatis, & Confratribus huiusmodi om-  
nibus , & singulis legitimè insinuata , & intimata fuerit, earumq; expres-  
sus ad id accesserit assensus derogationem huiusmodi minime suffragari,  
& nullius esse roboris, vel valoris , & sic per quoscumq; Iudices qua-  
uis auctoritate fungentes , etiam prædictæ Ecclesiæ Cardinalis , ac Cau-  
farum Palatii Apostolici Auditores sublata, &c. ac irritum , &c. iudica-  
ri , & diffiniri debere , non obstantibus præmissis , ac fel. rec. Bonifacii  
Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna , & in Concilio Generali editam  
de duabus dietis , dummodo vltra tres dietas aliquis vigore præsentium  
ad iudicium non trahatur aliis Constitutionibus , & ordinationibus Apo-  
stolicis , necnon Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe , ac Hospitaliū  
Ecclesiarum Monasteriorum , & aliorum quorumcunq; locorum , & or-  
dinum iuramento , &c. roboratis, statutis , & consuetudinibus priuile-  
giis quoq; indultis , conseruatoriis, exemptionibus , & litteris Aposto-  
licis eisdem, ac dilectis filiis Pop. Rom. necnon Iudicibus, Curiis, & Tri-  
bunalibus eorum personis per quoscumq; Romanos Pontifices præde-  
cessores nostros, & Nos ad dictam Sedem , etiam Motu , & scientia simi-  
libus

libus concessis, approbatis, & innouatis, etiam disponentibus, & causæ huiusmodi ad forum, seu Curiæ Capitolii reassumi debeant, quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliæ de illis eorumq; totis tenoribus specialis specifica expressa, & individua, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma illius cōtentâ obseruata inserti forent præsentibus pro sufficienter expressis habēn illis aliæ in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus contrariis quibuscumq;, aut si prædictis, vel quibusvis aliis, communiter, vel diuīsim, ob eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca Curias, & Tribunalia ad iudicium trahi non possint per Litteras Apostolicas non faciētes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet alijs Priuilegijs, & indultis Apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcumq; tenorū existēn, per quem præsentibus non expressa, aut totaliter non inserta iurisdictionis ipsius Protectoris explicatio expediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumcumq; totis tenoribus de verbo ad verbum adhæsit in præsentibus mentio specialis. Volumus autem præsentium solam signaturam sufficere, ac vbiq; fidem facere in iudicio, & extra, regula contraria non obstante, & earundem transumptis manu Notarij publici subscriptis, & Sigillo Protectoris, seu Confraternitatis huiusmodi munitis eandem prorsus fidem adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus manu nostra subscriptis.

Placet Motu proprio M.

